

lio confirmaverunt in spe, ut et ipsi per quotidianam penitentiam stolas suas sanguine Agni laverent, et per patientiam eventum liberationis ac celeste palmarium præstolarentur, cum Deus suos non æternum in inquietudinibus relinquit, sed aliquando in ipsorum auxilium intendat, æternæque miseratione colligat.

VERSUS 11.

Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilee, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.

1. — Notandum, Christum primum miraculorum suorum ad instantiam suæ sanctissimæ Matris patrasse, ad instruendum nos, ut ad ipsam recurramus, ut ipsa suam in nostris necessitatibus intercessionem apud Filium interponat.

2. — Hugo Cardinalis ait : « Signum hoc, est manifestatio presentie Christi : unde cum tribulatio mutatur in exaltationem, signum est, quod Christus est præsens. »

3. — S. Augustinus hoc primum Christi miraculum fuisse non existimat, siquidem continuo in vitibus aquam in vinum commutat. « Ipse fecit vinum illo die in hydris, qui omni anno hoc facit in vitibus, sed hoc assiduitate amisit admirationem, itaque servavit sibi Deus inusitata quædam, quæ faceret, ut tanquam dormientes homines ad se colendum mirabiliter excitaret. »

Manifestavit gloriam suam.

4. — Jansenius ait : « Aperte ostendit, se esse eum, qui quotannis in vite aquam in vinum convertit. » Cajetanus vero, Christum gloriam, quam interius habebat, manifestasse dicit, ac prout dicit S. Lucas : « *Gloriam suam* : Fulgebant enim intus Deitatis gloria, fulgebant gloria beatitudinis in anima, fulgebant intus gloria divinæ potentie. » Aquam igitur in vinum perfectum convertendo hanc omnipotentie suæ gloriam manifestavit, quæ eousque hætenus occulta fuerat.

5. — Rupertus Abbas Tuitiensis in lib. II, *De gloria et honore filii hominis*, querit : « Creditur forsitan Christum suam manifestatum fuisse, « si, prout a diabolo rogatus fuerat, lapides in panem commutasset? » Et respondet : « Nequam, saltem eo modo, quo gloriam suam manifestavit, aquam in vinum transmutando, » reddique rationem : « Ubi enim hoc fecit initium signorum, et sic manifestavit gloriam suam : non gloria fuit inanis, sed gloria cum fructu, quem videlicet fructum protinus Evangelista representat, dicens : Et crediderunt in eum discipuli ejus. » Chrysologus, *Serm. clyvi*, ait : « Ubi aqua mutavit naturam, mox patefecit auctorem, et elementorum creator mutatione revelatus est creaturæ. » At vero S. Ambrosius, *Serm. II de Epiph.*, a sensu litterali ad moralem transit, indeque ad Christi gloriam hoc documentum adducit : « Si gloriosus est aquam in vinum mutare, quanto est gloriosius peccata in justitiam commutare, et mores potius temperare, quam pocula. »

Et crediderunt in eum discipuli ejus.

6. — Lucas Brugensis B. Virginem miraculum poposcisse dicit, non ex vanæ ostentationis motivo, sed ad divinam Christi gloriam magis declarandum : « Spectavit ante omnia gloriam Filii, non vanam aliquam, sed solidam, quæ inducere homines posset ad amplectendam fidem, qualem oportebat habere in illum omnes, qui servari velent, non ignorans, tempus ostentationis Filii sui vel adesse, vel proxime instare. »

7. — Christus multos quidem discipulos habebat, doctrine ejus auscultandæ avidos, qui tamen, ut Albertus Magnus observat, in fide divinitatis suæ nondum stabiliti erant, adeo ut S. Cyrillus scribat, multos ante hoc miraculum Christum secutos fuisse, ex admiratione sanctitatis ejus : « Sed propter signum contuiti sunt, eum habere virtutem et potestatem majorem quam homines, unde crediderunt tanquam in Deum; » ejus sententiæ etiam S. Thomas super hoc Evangelio esse noscitur.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. VIII, VERS. 1

1. Cum descendisset de monte, secuta sunt eum turbæ multæ.
2. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare.
3. Et extendens Jesus manum tetigit eum, dicens : Volo, mundare; et confestim mundata est lepra ejus.
4. Et ait illi Jesus : Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcipit Moyses in testimonium illis.
5. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur.
7. Et ait illi Jesus : Ego veniam, et curabo eum.
8. Et respondens Centurio ait : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.
9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic : Vade, et vadit; et alii : veni, et venit; et servo meo : fac hoc, et facit.
10. Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit : Amen dico vobis : Non inveni tantam fidem in Israel.
11. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælorum.
12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.
13. Et dixit Jesus Centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi, et sanatus est puer in illa hora.

VERSUS 1.

Cum descendisset de monte, secuta sunt eum turbæ multæ et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens.

Cum descendisset de monte.

1. — Glossa dicit : *De monte*, « id est, cum se exinaniret, formam servi accipiens. » In quo sensu etiam S. Thomas, in cap. v. *Matth.*, per hunc montem celum interpretatur : *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Quando autem ex hoc monte, celo nimirum per Incarnationem descendit, universum genus humanum peccati lepra infectum, sanitati restituit, a quo tempore secuta sunt eum turbæ multæ, id est, omnes populi totius mundi. Unde S. Paschasius, lib. V, in *Matth.*, ait : « Nisi descenderet per Incarnationem, habitu inventus ut homo iste non ascenderet. » Haymo in *Catena S. Thomæ* in sensu morali verba illa explicat : « Ascendit, » inquit, « in montem Doctores, cum perfectioribus excellentiora præcepta ostendunt : descendunt vero, cum infirmioribus leviora demonstrant. »

Secuta sunt eum turbæ multæ.

2. — Albertus Magnus, in *Matth.*, hos, qui Chris-

tum secuti fuere, varios in hac sequela fines habuisse considerat; alii enim sequebantur eum ex motivo charitatis et devotionis; alii ex curioso miracula videndi desiderio; alii prædicationis ejus audiendæ gratia; alii, ut sanarentur; alii, ut ejus vitam et mores observarent ad accusandum eum; alii denique ob propriam utilitatem, quæ illis in temporalibus obveniebat, dum panes multiplicabat et datas sibi ab aliis elemosinas inter egenos distribuerebat.

3. — Paulus de Palatio sanitatem, quam Christus multis miserabilibus contulit, devotarum turbarum istarum orationibus magna ex parte attribuit : « Cum multæ turbæ sequuntur, multæ orationes a pro miseris revelandis effunduntur, quibus Deus inclinatur ad suam benignitatem exercendam. »

Additiones.

a. — *Cum descendisset de monte, secuta sunt eum turbæ multæ.* Quid est quod turbæ non ascendunt montem ad Dominum, sed descendentes sequuntur? Ratio moralis est. Ascendit Christus in montem, qui alienus erat ab omni peccato; ascendunt discipuli qui jam Christi Domini doctrina, onus peccatorum deposuerant; et ideo expediti ac præpetes erant, ut ad sublimia intendant. At turbæ

peccatorum sarcina et pondere gravata, in altum scandere non valet. Sic sola peccata onus illud grave sunt, quod nos in inferno detinet, et vi cujus, ad montem celestem scandere nequeamus. S. Thomas ait : « Nota quod ista tria sic sunt ad invicem ordinata iniquitas, mors et infernus, quod ex iniquitate homo inducitur ad mortem, et per mortem, deducitur ad infernum. » S. Augustinus autem, in *Psal.* xcix, egregie nos docet quo modo ignis æternus a nobis minime sit timeendus ; nam supra illa verba : *Ignis ante ipsum præcedet*, inquit : « Timeamus ? mutemur et non timeamus. Ignem palea timet ; auro quid facit ? Est autem nunc in potestate quidquid facias, ne illud quod et te nolente venturum est, non correctus experiaris. »

b. — Turba, leprosusque hic peccatorum pondere et sarcina gravabatur, ideoque in altum scandere non valet, sed in imis et infimis existens, Domini adventum præstolatur, ut a suorum scelerum compediibus allevietur, et ita ad altiora elevari valeat. Gravissimum enim pondus peccatum est. S. Antoninus de peccati gravitate hanc habet observationem : « Si massa plumbea esset tibi est luna, cum caderet eam terra retineret, sed peccantem spiritum angelicum, non potuit retinere firmamentum, quod sic dicitur propter suam firmitatem ; nec terra, nec alia corporea creatura, vel natura retinere potuit, quin caderet in inferni novissima. »

S. Ambrosius, in præfatione super Psalmum xxxvii, notat quod, quando Deus in Sabbato onera portare prohibuit, maxime de peccatis locutus fuerit. Ait enim : « Quid est ergo Sabbatum, nisi requies futurorum, levamen præsentium, quo lex jubet hominum opera ferari, onera deponi ? Quæ sunt graviora onera, nisi nostra peccata ? hæc deponantur in sabbatum diebus, id est, in hoc vitæ istius tempore. »

Tametsi verum sit, quod lignum crucis humeris Christi, tot innumeris tormentis tota illa nocte magnitudinis fuerit ; nihilominus divina natura humanam fragilitatem sustinente, et confortante, non solum illud pondus, verum etiam integrum mundum humeris suis sustinisset, nisi huic patibulo omnia totius generis humani peccata, per Christum expianda, imposita fuissent, prout S. Petrus, I *Ep.*, ii, 14, insinuat dicens : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Cæterum vero Simon Cyrenæus huic cruci portandæ suffiebat, siquidem oneris peccatorum mundi particeps non fuit.

c. — Descendente de monte, non vero montem ascendente Domino, secutæ sunt eum turbæ multæ, et simul veniens leprosus, adorabat eum. Quod certo non absque magni ratione mysterii factum esse videtur. Hoc enim significat, inquit Jansenius,

« Dominum eum in cælis adhuc apud Patrem maneret, paucos habuisse qui ad illum accederent ; at postquam de monte suæ divinitatis descendit, et humanitatis nostræ fragilitatem assumpsit, montemque Myrrhæ, id est, sanctissimæ crucis ascendit magnam ipsam nationum turbam secutam. » Postquam enim passus et crucifixus est, multos in perfectione vitæ, rerum terrenarum, necnon deliciarum et commoditatum mundanarum contemptu habuit sequaces, ad quod etiam nunquam modicum confert passio Christi meditata. S. Apostolus Paulus ita scribit, II *Cor.*, v, 15 : *Mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed et qui pro ipsis mortuus est.* Quæ verba Doctor Angelicus in hunc modum interpretatur : « Ita debet se quisque reputare, ac si esset mortuus sibi ipsi, et totam vitam suam ordinare ad servitium et honorem Christi. » Quod si multorum in virtute et perfectione insignium servorum Dei vitas percurrere velimus, illas huic mysterio specialiter devotos fuisse reperimus. Unde Blosius, in *Conclavi animæ*, merito ita scribit : « Inspice et imitare pro modulo tuo ejus humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem, benignitatem, modestiam, continentiam, sobrietatem, et cæteras virtutes sanctas quæ in eo perfectissime relucunt. »

d. — Origenes, *Hom. v in divers.*, pulchram hic insinuat moralitatem : « Docente Domino, in monte, » ait, « discipuli ejus erant cum ipso, quibus datum erat celestis doctrine noscere secreta. Nunc vero descendente eo de monte, turbæ secutæ sunt eum. In montem scilicet ascendere nequaquam poterant, quia quos delictorum sarcina deprimit, ad mysteriorum sublimia, nisi abjecto onere scandere minime valent. Idcirco et filii Israel ascendere in montem primitus non poterant, ad obviandum Deo, quia Egyptiaca gravati conversatione præpediebantur, sed solus Moyses ascenderat. » Est enim peccatum gravissimum ponderis. Sed adeo magna est Dei æquanimitas, quod ab exhibendis peccatori suis beneficiis, nunquam desistit ; qui potius semper eundem ad penitentiam expectando, quasi de monte descendat. S. Bernardus, *Serm. iii in Dom. VI post Pentecost.*, ita scribit : « Apparet divina misericordia in diuturna expectationis patientia. Quum enim homo peccat, injuriatur Creatori suo, et etiam Filium Dei in semetipso crucifigit, et ideo statim dignus est totali consumptione, nisi esset divina misericordia, quæ patienter et longanimitas ter expectat eum, quasi dissimulans peccata ejus, quia si statim peccatorem puniret postea cum parceret non haberet. » Porro hæc Dei longanimitas et patientia nunquam defatigatur. Hanc differentiam quæ intercedit inter patientiam nostram et Dei longanimitatem, his verbis observat Olea-

VERSUS 2.

Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare.

1. — Quod si quæras, cur leprosus iste montem non ascendit ? respondit Auctor Imperfecti, *Hom. xxi* : « Quia lepra erat gravatus et peccatorum hajulans pondus, sursum ascendere non valebat ; » ac prout David ad interrogationem a se propositam, *Psal.* xxiii, 3 : *Quis ascendit in montem Domini ?* protinus respondet : *Innocens manibus et mundo corde.* Unde quod tam turbæ quam leprosus Salvatorem secuti non fuerint, nisi postquam de monte descendit, non sine mysterio factum est ; hoc enim significat, inquit Jansenius, *Concor. Ev.* : « Dominum, eum in cælis adhuc apud Patrem maneret, paucos habuisse, qui ad illum accederent ; at postquam de monte sua divinitatis descendit et humanitatis nostræ fragilitatem assumpsit, magnam turbam nationum secutam eum ; » tunc enim genus humanum lepra plenum, mundatum fuit, ejusque scholæ se addidit. Unde Eusebius Emisenus ait : « Domino de monte descendenti leprosus occurrit, quia ad hoc de cælo descendere rat, ut mundum sanaret et a vitiorum lepra mundaret. »

2. — Sed quomodo leprosus ille Christo et turbæ appropriare ausus fuit, cum omne sit leprosis cum aliis prohibitum commercium ? respondet S. Ambrosius, *lib. V, in Luc.* : « Ille, qui excludebatur a lege, purgari se Domini potestate presumens, non ex lege, sed supra legem esse gratiam judicavit, quæ leprosi maculam posset abluere. Verum ut in Domino potestatis auctoritas, ita in illo fidei constantia declaratur. »

3. — Porro notandum est, leprosum hunc Christum adorasse, divinitatem in ipso agnoscendo, *Psal.* lxxxii, 17 : *Imple facies eorum ignominia et quærent nomen tuum, Domine ;* tribulati enim ex miseris suis, lumen et Dei notitiam acquirunt et dolentes ad ipsum recurrunt.

4. — S. Ambrosius ait : « Iste in faciem prociidit, quod humilitatis est et pudoris, ut unusquisque de sua vitæ maculis erubescat, sed confessionem reverentia non repressit, ostendit vulnus : remedium postulavit. »

5. — Inter omnes humanas infirmitates nulla est, quæ peccatum magis ad vivum representat, quam lepra, cujus prout analogie varii possunt paralleli compendiose adferri. Hugo Cardinalis, *ibid.*, ait : « Lepra per totum corpus diffunditur, sic peccatum per totum hominem ad modum cancri. » Peccatum etenim corpori et animæ mortem conciliat, corpus et animam perdit lepra ; contagiosa est alios inficiendo, » inquit Hugo, « sic peccatum ; *Ecclesiast.*, xiii, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ; Psal.* cv, 35 : *commixti sunt inter gentes et didicerunt*

ster : « Solet apud homines multiplicata injuria illata condonatio esse causa de cætero contumendi veniam. Non sic autem Dominus Deus, sed veniam multiplicasse causa est novæ condonationis. » Unde Moyses, Deum efficaciter inducere volens ut populo suo condonaret, ait : *Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus, secundum magnitudinem misericordie tue, sicut propitius fuisti egredientibus de Egypto, usque ad locum istum.*

e. — Descendit Dominus de monte, id est, de majestate, de legis rigore, de vindicta, de duro illo nomine, quod esset Deus ultionum, *Psal.* xciii, 1. Deus zelotes vindicans peccata in quartam generationem, *Eccl.*, xx, 5. Descendit ergo Dominus in humilitatem ac mansuetudinem, et tunc turbæ accedunt, ac eum sequuntur, et a suis malis mundantur. Quos enim rigor ac vindicta legis non curavit, hos benignitatis ac humilitatis Salvatoris nostri Jesu sanavit.

Salvator sequaces suos ad legem Evangelicam invitaturus, dulciter eos inescare conatur, jugi sui proponendo suavitate. Via, inquit, per quam gressuri estis admodum facilis et plana est, nullis indigna sudoribus. Imponenda vobis præceptorum meorum observantia, pondus quidem erit, at leve. Lex autem Mosaica, tunc temporis terminanda, gravabat intolerabiliter, dicitur S. Petro : *Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuimus ?* Quam ob causam et a Christo, populum illum a lege scripta ad Evangelicæ transitum invitante, dictum arbitror : *Qui laboratis et onerati estis. S. Paschasius dictam Christi invitationem considerans, graviter laboribus fatigatos, » inquit, « vel oneribus depressos benignissimus Salvator ad se vocat, ea omnia ablaturus, tantum ut jugum ejus suave, et onus leve suscipiant. »*

In lege antiqua Mosaica non conferebatur gratia quæ gloriæ arrha est ac pignus, adimplentibus eam, quam nihilominus legis Evangelicæ nobis impertit observantia. Unde S. Joannes, i, 16, inquit : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia ; quia lex per Moysen data est ; gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* « Lex data est, » dicit S. Augustinus, « ut gratia quæ reteret ; gratia data est, ut lex impleteretur ; » unde factum est ut nullas in virtute observantiæ Mosaicorum præceptorum, salutem assequeretur, sicuti, e contra, omnes de salute certi vivunt, quotquot Christi, utpote Messie veri, obtemperant decretis ; dicente Apostolo, *Gal.*, ii, 26 : *Hominem non justificari ex operibus legis, sed ex fide in Christum.*

f. — Multi quidem Christum sequuntur, aliqui propter miracula, alii propter doctrinam, aliqui etiam ex curiositate, pauci vero pro salute animæ suæ.

opera eorum et factum est illis in scandalum. « Item « leprosus habet anhelitum fetidum, sic peccator « est fetidus. Leprosus solum patitur, nunquam est « satiatus pariter in peccato. » Lepra est infirmitas indurabilis; « Per lepram, » inquit Paulus de Palatio, *in Matth.*, « intellige propositum et voluntatem « manendi in peccato. » Lepra precipuos corporis nostri sensus destruit, ita peccatum meliores animæ potentias corrumpit, excæcat intellectum, voluntatem pervertit, cor divinis vocibus surdum efficit, bonum spiritus gustum depravat, quia *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, nosque in bene operando facit pigros et desides, Paulus de Palatio scabiei hujus considerat varietatem, de qua in supradicto capite Levitici fit mentio, dum dicit, quod, *alia est in cute, alia in carne, alia in capite, barba, calvitie, vestibus*, ex qua lepræ distinctione moralitatem deducit sequentem: In cute vel pelle lepra est, quando quis a divina lapsus est gratia, nec tamen in culpa adeo tenaciter persistit, quin correctus non emendetur; in carne viva lepra esse dicitur, quando peccatum in anima radices egit, ipseque homo « ita placet sibi in peccato, ac si peccato viveret. » In cicatrice est, quando vulnus peccati deletatè renovatur et homo in peccatum fit recidivus. In capite vel barba est lepra quando Christi, qui Ecclesiæ et Sanctorum suorum caput est, fides offenditur; in calvitie denique lepra conspicitur, « quando peccatum ex virtutibus nascitur; « in vestimento eum quis exteriorem justitiam con- « temnit. »

Domine, si vis, potes me mundare.

6. — « Cur non dixit, *Domine munda me?* Qui se « peccatorem agnoscit, vix vel mutire audet; » inquit Paulus de Palatio.

7. — « Non diffidit de misericordia, quantum « ad eum, quem adorabat, sed potius quantum ad « seipsum, qui indignum misericordia esse judi- « cabat, » inquit S. Anselmus, *in Matth.*

8. — Chrysostomus leprosum istum celesti huic Protomedico mercedem obtulisse dicit, sed spiritua- lem, nimirum, « fidelem orationem, qua nihil « dignius Deo offerimus. »

9. — Leprosus iste Evangelicus vivacissimam in se exhibet divinitatis Christi fidem, dum illum Dominum appellat, *Domine* et in terram se prosternit, ut eum adoret: *adorabat eum*; « fidei magni- « tudinem verbis expressit, » inquit Jansenius et Cajetanus ipsum omnipotentiam divinam in voluntate Christi collocasse notat: « Magna fides! fatetur « potentiam in voluntate consistere. » S. Fulgentius ait: « In his verbis ostendit, divinam voluntatem « plenissimam esse potestatem. *Quæcumque voluit « Dominus, fecit,* » etc. Eusebius Gallicanus ait: « Dominus es, omnipotens es, voluntas tua opus « tuum. » Centurio, cujus fides a Christo tantopere

exaltatur, ut infra in suo loco dicemus, Christum uno tantum verbo servum suum sanare posse, credidit; at vero hic leprosus, Christum unico duntaxat voluntatis suæ actu ipsum mundare posse, professus fuit: *Si vis, potes me mundare.*

10. — Verum enim vero, ex quo S. Evangelista Lucas, vi, 79, de Salvatore nostro dicit: *Virtus de illo exibat et sanabat omnes*, quia igitur ratione leprosus iste, de voluntate Christi ad sanandum illum dubitare potuit? Auctor Imperfecti, a Glossa citatus, dicit: « Non de voluntate Christi dubitabat, « sed de judicio voluntatis, Christus enim cum « sit bonus, nociva non vult præstare, eliamsi roge- « tur, nec enim omnibus expedit corporalis inte- « gritas. » Similem quamdam considerationem S. Thomas, *in Matth.*, in hoc proposito adducit, dum ait: « Misericordiam non oportet petere, sed solum « indigentiam ei monstrare: *Domine, ante te omne « desiderium meum et genitum meum a te non est abs- « conditum.* » Sciebat, inquit Albertus Magnus, Christi voluntatem omnipotentem, optimam et ad beneficiendum promissimam esse: « Bonum culti- « bet facit; at nescivit an sibi bonum esset, quia « alias quod mundaretur vel non, sub conditione « locutus est. » S. Thomas, *ibid.*, ait: « Ostendit « sapientiam Christi, quia non petiit nisi voluntatem « suam, quia melius scit, quid opus sit sibi, quam « ipse, ideo sapientie Christi dimisit. »

Additiones.

a. — *Et ecce leprosus veniens adorabat eum.* Abulensis, g. 4, notat quod leprosus hic non ascenderit in montem, sed occurreret Domino descendenti. Rationem autem hujus hanc assignat, quia non licebat leprosis intra urbes habitare, nec se intrmittere in hominum conventu, ac multitudine. Imo, *Num.*, v, 2, præcipiebatur expelli extra castra, idque ne alios inficerent. Quod si leprosi, qui solum inficiebant corpora, ab aliorum separabantur consortio, quomodo non magis cavendi sunt leprosi, qui inficiunt animas, scilicet mali socii, cum vel minus malus socius sufficiat ad corrumpeudos multos bonos, quos diversis multisque bonis privat, et iisdem supplicii implicat quibus ipse obruitur.

Apostolus, I *Cor.*, v, 6, scribit: *Necessitas quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* « Non « immerito, » inquit Salvianus, « Beatus Apostolus « ejci pestilentium jubet, et cur jubet, ostendit, « dicens quia modicum fermenti totam massam « corrumpit. Inde evidenter agnosimus, etiam « unum sapissime malum hominem, perditionem « esse multorum. »

Qui cum sapientibus graditur sapiens erit, nobis Sanctus insinuat Spiritus, Prov., xii, 23, qui mox etiam de malis sociis tractans subjungit: *Amicus stultorum similis efficietur.*

Homini a prima origine innatus est societatis

amor, quæ propter mutuam indigentiam, est inter nos unice necessaria. Ast dum similes nobis amamus, multa cum circumspectione meliores, seu bonos oportet et sodales eligantur.

Viros etiam maxime virtuosos, magisque in divino servitio stabiles, conversatio pervertit malorum; citra enim miraculum, et absque speciali Dei assistentia, boni constantes non perseverant inter per-versos, quibuscumque conversari soli poterunt ii qui in virtutibus stabiliti sunt, in majus bonum animarum illorum.

Boni cum malis conversando citius pervertuntur quam mali convertantur; siquidem natura nostra potius in vitia quam in virtutes propendit.

Innumera mala et damna justis eveniunt, ex societate malorum; hujusmodi tamen discriminibus subiecti non sunt, qui ex bono motivo, aut fine, consortii malorum uluntur.

Malis sodalibus diabolus utitur, tanquam efficacissimis ad nos pervertendos instrumentis.

b. — Habet hoc lepra quod inter omnes corporis morbos, maxime deformis sit, utpote quæ omnes corporis humores fœdet atque corrumpat, ex quorum temperamento et puritate formæ decoret venustas proficiscitur, quemadmodum ex eorumdem corruptione deformitas. Cujus morbi defectus horribiles, maxime in peccatum quadrant, quod rem omnino pulcherrimam, nempe animam Dei imagine insignitam, adeo deformem reddit, ut quæ erat divine pulchritudinis speculum, fiat turpitudinis et omnis fetoris, Deo et Angelis simulacrum. « Adverte, » ait S. Bernardus, « deformitatem et « fœditatem mortalis culpe; est enim mortalis « culpa spiritualis lepra, deterior quam corporis, « quantum distat mortale corpus a spiritu immor- « tali, et ad imaginem et similitudinem Dei formalo. « Illa ejcit e consortio hominum; hæc autem a « consortio Dei et omnium Sanctorum et Angelo- « rum. Illa ejcit a civitate; hæc autem non solum « privat a celesti regno, atque præsentî sæculo, « sed etiam locat hominem in hospitali infernali, « cum infinita penalitate. »

c. — *Ecce leprosus veniens.* Notanter Evangelista addit illam particulam, *ecce*, utpote rem grandem et notabilem designaturus, gravitatem scilicet morbi et excellentiam miraculi. Lepra enim gravissimus est morbus ac universalis cancer; et ideo leprosus magnum contagium est, denotatque gravissimum peccatorem. Sicut enim lepra nequaquam occultari potest, quin exterius appareat, sic peccatum, quanto diutius occultatur, tanto turpius deinde apparet; aut enim a Deo, aut a propria conscientia manifestatur. Dum impius ad peccandum se accingit, dicit intra seipsum: *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me. Quem vereror? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Eccl., xxiii, 26. Avero quantopere in hoc

decipiatur impius, idem Sapiens, *Prov.*, xxi, 4, dicit: *Lucerna impiorum peccatum*, quibus verbis præclare indicat, quia sicut lucerna profligat obscuritatem et tenebras noctis, illudque, quod in terra illa caligine abscondebatur, manifestat, ita quoque peccatum hujus est nature, ut licet in secreto, et in abscondito commissum fuerit, nihilominus paulatim detegatur, et in notitiam deveniat singulorum, quia *lucerna impiorum peccatum est.* Apostolus, I *ad Cor.*, iv, 3, in hæc verba de Deo scribit: *Illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit secreta cordium;* illas namque cogitationes, quæ in intimis et reconditissimis cordium nostrorum recluduntur penetralibus, Deus tandem revelabit. Unde scleratus non potest ad hoc fugere asylum, ut scilicet sperare possit, quod peccatum suum a nullo unquam homine cognoscatur, quia *Deus illuminabit.* Nam ut S. Bernardus, I *de Cons.*, xii, ait: « Est turpius « pœna Deus, lux est enim. Et quid tam invisum « obœonis flagitiosisque mentibus? Profecto omnis « qui male agit, odit lucem. Sed dico: Numquid « non poterunt declinare? Minime: læcet ubique « etsi non omnibus. Denique lux in tenebris læcet et « tenebræ eam non comprehenderunt. Videt tenebras « lux, cui hoc est videre, quod lucere. Sed vicissim « a tenebris, ipsa non videtur, quia tenebræ eam « non comprehenderunt. » Cassiodorus ait: « Æsti- « mant dementes Deum non videre mala illorum; « ideo Deus ipse per Nahum Prophetam, iii, 5, « apertis et terribilibus verbis: *Ecce ego ad te, dicit « Dominus exercituum, et revelabo pendula tua et « facie tua, et ostendam gentibus munitatem tuam et « ignominiam.* »

Neque Adam, neque David, neque Jonas propheta suam abscondere poterunt iniquitatem. *Tu fecisti abscondite*, dicit Dominus, II *Reg.*, xii, 12, *ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel et in conspectu solis.*

d. — *Domine, si vis potes me mundare.* Multæ per hæc verba insinuantur leprosi hujus virtutes. Chrysostomus leprosum istum celesti huic protomedico mercedem obtulisse dicit, sed spiritualement nimirum. « fidelem orationem, qua nihil Deo dignius « offerimus. » Fidelis autem oratio est, quando plus cor quam lingua loquitur, et pauca verba immensum mentis explicant desiderium. Prout hic leprosus fecisse æstimandus est, quem procul dubio Christus non exaudivisset, nisi quod ore, seu lingua protulit, corde consensisset. In oratione enim plus cor quam lingua requiritur, hanc enim Deus non auscultat, nisi cordi consentiat.

Salvator noster efficac nobis contra communem inimicum ministrat remedium, scilicet orationem: *Orate, ne intretis in orationem.* Avero sagacissimus serpens impossibile esse sciens, ut nos totaliter ab hoc tam necessario et utili exercitio divertat, quid facit? Audiamus S. Cyprianum dicentem: « Subti-

« iter fallens preces nostras a Deo avocet, ut aliud « habeamus in corde, et aliud in voce, quando « intentione sincera Dominum debet non vocis « sonus, sed animus et sensus orare. » Propheta regius in oratione sua precepit, ut ante thronum Altissimi penetrare non intermitteret, dicens, *Psal.* cxvii, 169 : *Appropinquat deprecatio mea, in conspectu tuo, Domine.* Atvero qua ratione hæc appropinquatio oblineri poterit? Num forte id fiet vocis valida elevatione? Nequaquam. Audite igitur modum Deo appropinquandi, quem tradit S. Ambrosius, in eundem Psalmum, inquit : « Qui « appropinquaverit corde, ipse audietur a Domino. « Cor ergo prius clamet, ut sermo possit audiri. » S. Bonaventura, *Serm. II in Dom. XII post Pent.* dicit : « Levanda est vox cordis plus quam oris. « Unde Gregorius : Preces valentiores apud sanctissimas Dei aures faciunt, non nostra verba sed « desideria. » Idem quoque in alio sermone in memoriam nobis revocat verba illa Psalmi xxxvi : *Dabit tibi petitiones cordis tui.* Observat enim, Prophetam non dicere : *Petitiones oris, sed cordis.* In cuius probationem, auctoritatem citat S. Isidori dicentis : « Verba deprecantis Deus non intendit « sed orantis cor respicit. »

e. — Pulchrum hic a leproso hoc nobis relictum documentum insinuat S. Albertus Magnus. « Non « dubitat, » ait, « sed quia scivit, quod voluntas Dei « est omnipotens, et non nisi bona est, et bonum « exhibet facit; et nescit an sibi bonum esset, « quod mandaretur, vel non; ideo sub conditione « locutus est; id est : Si bonum est mihi, tunc ego « scio quod velis, et si non bonum est mihi, tunc « scio quod non vis. » Prudenter agnovit leprosus, quod quum Deus sit pater, non dat filiis petentibus, nisi bona. Proinde sub conditione petit. Agnosce enim quod si postulatum est bonum, illud concedet; si autem malum, ac nescivim, tunc non annuet. Deus enim petitiones nostras sepe, non secundum volum sed juxta profectum nostrum exaudit, utpote qui quid nobis expediat, longe melius nobis agnoscit. Medicus aures non prebet infirmo medicinam amarum deprecanti. Quia tamen infirmus aliud quam sanitatem non desiderat, tametsi, ad hanc consequendam, medicinam ei amarum porrigat, se tamen exauditum fuisse censet, dum sanitatem recuperat : « Ita Deus homini in « tribulationibus constituto, tribulationes non subtrahit, quamvis deprecanti, quia scit eas expedire « ad salutem; et sic licet Deus vere exaudiat, tamen « homo se exaudiri non credit, » dicit S. Thomas.

Psalmista Regius qui in oratione valde exercitatus fuit, sequentem, *Psal.* xxxvii, 7, insinuat orandi modum : *Subditus esto Domino, et roga eum.* Ubi Hugo de S. Victore ait : « Non dixit tibi : Ora eum « hoc, sive illud, sed tantum, *ora eum,* quia nihil « aliud a te quam affectum bonum exigit, qui tuam

« necessitatem, etiam te non loquente cognoscit. » Duæ illæ sorores Martha et Magdalena, Lazarum fratrem suum tenere amabant quæ dum hic mortali correptus esset infirmitate, licet scirent Salvatore miraculose sanasse moribundos, atque in vitam revocasse defunctos, secure quoque essent de ejus erga domum illarum, amabili affectu, hanc tamen petitionem ei dumtaxat insinuarunt : *Ece quem amas infirmatur.* Et mortuo Lazaro : *Sed et nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Cur autem adeo modeste et verecunde se erga Christum gesserunt? S. Bernardus, *Serm. XII de grad. humil.* duarum illarum sororum respondet, dicens : « Scit ipse cum non opus est ut aliquid dicatur, quid desideremus : sufficit nobis potentia « locum et pietati dedisse occasionem; malentes « expectare quid velit, quam imprudenter querere « quod forsitan nolit. Deinde quod nostris meritis « deest, verecundia forte supplēbit. »

Interrogaverunt quidam abbatem Macarium, dicentes : Quomodo debemus orare? Et dixit eis senex : Non opus est multum loqui in oratione, sed extendere manus frequenter, et dicere : Domine, sicut vis et scis, miserere mei. Si autem intus bellum in animo, dicere : Adjuva me. Et quia ipse scit, quæ expediant, facit misericordiam nobiscum.

f. — Diligenter attendendum quomodo hic leprosus in petitione sua magna preventionem usus sit, Perbelle ait Origenes, *Hom. v in divers.* in persona leprosi loquens : « Te ego Deum adoro, ideoque et « Dominum dico, opera prius contestans, et sic « verba loquens. » Prius opera exhibet, eum genuflexo adorans, et precidens in faciem suam. Postea verba profert, ut facilius exaudiretur. Plus enim persuadent opera quam verba, et ideo illa præcedere debent.

S. Paulus, priusquam Timotheum, discipulum suum ad dandum tam in sermone quam in conversatione, bonum exemplum cohortetur, primo hæc verba præmittit : *Fidelis sermo et omni acceptione dignus;* et paulo post quisnam hic omni acceptione dignus sermo sit, exponit dicens : *Præcipe et doce.* Sed quomodo præcipiendum, aut docendum? *Exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in fide, in charitate, in castitate.* Si boni illius quod persuadere volumus, aliquid in nobis præmittamus exemplum, auditori illud facilius persuadere et imprimere poterimus.

g. — Magna fides resplendet hic, ut ponderat Eusebius Gallicanus, *Hom. III post Epip.* Magna enim fide facta est hæc leprosi petitio, ait enim : *Si vis, potes me mundare.* Eum ut Deum omnipotentem recognoscit siquidem quidquid vult præstare potest. Et non dixit, ut notat Origenes, *Hom. v in divers.* : *Roga, deprecare pro me, ut dictum est Moysi; sed, si vis, potes me mundare,* Christum Dominum recognoscens, cum Deo Patre, potestate æqualem. Et

hanc fidem adoratione sua exhibita protestabatur, quæ culus latrice erat. Unde et meritis tam cito exaudiri. Ex quo patet quam multa bona vera fides in se contineat.

S. Bonaventura, *Serm. I de plur. Mart.*, virtutem hanc nobilissimam appellans, de eadem inquit : « Nobilissima virtus intellectum illuminat, animum « purgat, affectum forlificat, mundum contemnit, « diabolo resistit. » S. Bernardinus Senensis illam omnis gratiæ, omniumque virtutum fundamentum agnosces, multos admirabiles illius recenset effectus, dicens : « O gratiosa et amabilis fidei virtus! « Quis igitur te non amabit, quæ fundamentum est « omnis gratiæ et virtutis? Pargas peccata, vivificas « animas, illuminas cæcos, distinguis electos, con- « necis membra capiti nostro, animas fideles Deo « facis sponsas, protegis et defendis, probas justos, « miracula operaris, in omnibus triumphas, atque « æterna felicitate perseverantes in te coronas. »

h. — Agnoscebat hic leprosus, turpitudinem corporis sui turpissima lepra infecti, et ecce quam sollicitè accurrat, quam demisse rogat Dominum ut munderetur, forte non ita sollicitè procuranda lepra animæ sue. Sic quoque de corpore quod inimicum est animæ, semper sollicitè sumus, et quando infirmum est, industrie curare studemus, anima vero in comparatione ejus parvi æstimatur.

Hæc modica æstimatio quæ animam appetitur, ex modica oritur notitia quam ex defectu applicationis nostre de illa habemus. Hæc enim a nobis ad quævis alia extenditur præterquam ad unicum hoc tanti momenti negotium. « Considera anima mea, » inquit S. Bernardinus Senensis, « 1º in quanta altitudine creata es. 2º Quam magnus thesaurus es « æstimata. 3º Cum quanta diligentia es custodita. « 4º Cum quanto dolore es quæssita. 5º Cum quanto « stupore es considerata. 6º Cum quanto pretio es « redempta. 7º Cum quanto gaudio es reinventa. « 8º Cum quanto præmio eris beata. » S. Chrysostomus dicit, *Hom. VIII in Epip. I ad Cor.* : « Homines « anime perditionem non plangunt, nec cogitant. « Innumerabiles dies homines lugent pro famulis « mortuis, pro detrimento pecuniæ : animam « autem quotidie perdentes, de ea ne cogitamus « quidem. »

Sanctum quoque Ambrosium audiamus loquentem, *Serm. xxv in die Ciner.* : « In homine interiori « facti sumus ad imaginem Dei; in carne autem de « limo terræ formati sumus; et videte, fratres, si « justum est, ut caro de terra facta interdum his « die capiat cibum, et anima nostra, imago Dei, « vix vel post plures dies accipiat Dei verbum, cum « tamen expediat nobis, ut amplius Dei imaginem « quam nostram carnem honorare debeamus. Qui « enim de sola carne cogitant, bestiis et pecoribus « similes sunt, et qui ita agunt, jam in se Dei imaginem contriverunt. »

Quod si de vestimentis corporis loqui velimus, quis est qui clare non videat quanto major cura adhibeatur in hoc adornando, quam in expolianda et venustanda anima nostra? S. Bernardus, *cap. III de dign. anim.*, inquit : « Cur carnem tuam pretiosius « rebus adornas et impinguas, quam post paucos « dies, vermes devoraturi sunt in sepulchro; ani- « mam vero tuam, non adornas bonis operibus, « quæ Deo et Angelis ejus presentanda est in « cælis? Quare carnem tuam non vilipendis, et ei « animam tuam præponis? »

i. — Hic leprosus ad Christum tam pronus accurrat, quia miseriam status sui consideravit; ita quoque, si tu peccato veluti spirituali quadam lepra infectus, miseriam status tui considerares, protinus Christum curandus accurreres, teque ejus servitio totum dares; sed quia demon utilitatem istius considerationis videt, idcirco tunc te magis per tentationes aggredietur, ut bonum propositum impediatur.

j. — Leprosus quamprimum se lepra male valere conspexit, et morbi turpitudinem cognovit, statim ad medicum accessit caelestem, unde etiam sanitatem confestim adeptus est. Sic quoque conscientia nostra turpitudinem peccati nobis representans, si exaudiatur, bonos parit felices; ast neglecta et contempta, præsumens est pessimum. Ideoque quam primum ac peccati lepram in nobis agnosimus, per confessionis remedium, ad medicum caelestem accurrere debemus. Raritas enim confessionis peccatum inveterat; confessio vero demoniacas debilitat vires; et anima per confessionem emundata decora comparat in conspectu Dei.

David turpissimo contaminatus adulterio, et homicidio, universalis insuper scandalis reus, multoque tempore in suis perseverans delictis, quo tandem motu ad seriam emendationem conversionem et penitentiam austerissimam inductus fuit? Ipsemet respondeat : *Conversus sum in ærinna mea, dum configitur spina.* *Ps. xxxii, 4.* Quæ fuit pungens hæc spina, prosequitur : *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.* « Spina », inquit S. Hieronymus, « est stimulus conscientie peccatrici. » Hanc autem spinam, hanc stimulum vel non sentire, vel negligere, pessimum est desperare salutis indicium : *Impius cum in profundum venerit contemnit.* *Prov., xvii, 3.*

« Vultis scire, » verba sunt Hugonis Victorini, « periculum taciturnitatis, et utilitatem confessionis? *Quoniam tacui,* inquit Psalmista, *incoheretum verat ossa mea.* Et iterum : *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.* « *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti iniquitatem peccati mei.* « Vide ergo, et considera : si taces, peccata tua « inveterantur; si confiteris, condonantur. »

« Per confessionem adjuvamus in bono; adjuva-

« mur in tentatione ad triumphandum, » dicit S. Bonaventura, *Serm. v in Rogat.* Moxque quamdam S. Augustini citat sententiam, qui postquam aliquot assignasset mcdos, et vias quibus nos maligni spiritus impetunt, sternuntque machina, optimum, ac presentissimum omnes devincendi, et atterendi assignat confessionis remedium, inquit: « Neque « facilius ab inimico devincimur, quam cum super- « biendo ipsum imitamur; neque vehementius eum « prosternimus quam cum humilitate Deum conse- « quimur; neque ei dolores acriores indigimus, « quam cum plagas peccatorum nostrorum, confi- « tendo et poenitendo, sanamus. »

S. Bernardus, discutiens Psalmi xcv versicu- lum 6 : *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus*, qualitatem fusius meditatatur majestatis illius coram qua venustatem spirat anima ponitens: « In con- « spectu ejus, cujus speciosa erat forma prae filiis « hominum; ejus inquam, in quem desiderant « Angeli prospicere. » In conspectu Creatoris, crea- turæ rutilare pulchritudinem, res est omni plenissi- ma admiratione, nihilominus et certissima, siqui- dem eterne veritatis testimonium audivimus: Confessio et pulchritudo in conspectu ejus. « Audis « cui placeas, » subjungit Doctor Mellifluus, animam alloquens confitentem, « ama unde placeas; ama « confessionem, ob quam amaris; ama confessio- « nem si affectas decorem: revera ubi confessio, « tibi pulchritudo, tibi decor. » *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia*, dicit Apostolus, *Rom., v, 20.*

K. — Accessit hic leprosus, cum magna verecundia ac humilitate, ad medicum, genuflexus adorans, et cum in lepra illa, peccata denotarentur, ob eorum verecundiam in faciem suam procidit, reputans se indignum, ut vultu suo agnosceretur ac videretur. Ita verecundus peccator esse debet in confessione peccatorum, nec similis illis qui *lectantur, cum male fecerent et exultant in rebus pessimis*, *Prov., n, 14.* Quos et Hugo Victorinus acriter perstringendos censuit, dum ait: « Sunt quidam sicut impudentes « ad faciendum, sic inverecundi ad dicendum, qui « quoniam turpitudinem suam in faciendo non « vident, verecundiam in dicendo non habent. « Quibus utique per Prophetam dicitur: *Frons a mulieris meretricis facta est tibi; nescivisti eru- « bescere.* Isti nunquam sine aliquo compunc- tionis motu, sine aliquo timore, vel amoris Dei « attackta, pro sola consuetudine explenda, ad « dicenda peccata sua se ingerunt, existimantes se « propter solam verborum prolationem, a debito « peccatorum suorum absolvi; quibus recte dici- « tur: *Prius flendum est, postea confitendum.* » S. Bonaventura, *Serm. n in Dom. inf. Oct. Epiph.*, inquit: « Debet in confessione esse verecundia « summa, non occultando peccata, sed detestando, « et plangendo. » Quamvis in summa esset vere-

cundia leprosus, tamen confessio inde non impeditur, sed publica, ac patenti voce sanitatem postu- lans, infirmitatem suam, ac vulnera, ulceraque manifestat. Confundit ergo hic leprosus eos qui impudenter prævaricantes, peccata confiteri verecundantur.

L. — Leprosus, his verbis: *Domine, si vis potes me mundare*, ostendit quod sum vehemens sanitatis desiderium, cum magna resignatione submittat Christi Domini voluntati; et quod non obstante petitione sua, ipse præstet, quod voluerit, ut si velit, eum sanet; et si nolit, a curatione abstineat. Agno- verat enim quod sæpe corporis infirmitas sanitas sit anima, et maxime ad ejus salutem conducit.

Si autem in quo consistat sanitas animæ penitus intelligere cupimus, ea quæ sacri Doctores hac de re scriperunt profundius examinanda sunt. S. Bonaventura, *de profes. relig.*, t, 8, dicit: « Sanitas « animæ consistit in recta et circumspccta actione, « in cauta locutionis observatione, in rectitudine « voluntatis, in ordinatione affectionis, et utilitate « cogitationis. » Et S. Ambrosius: « Hæc est anima « sanitas, hæc salubritas mentis, ut affluentia cesset « erroris, sistatur culpa ne serpat, cessante incen- « tivo; salus tuta est, atque inoffensus vigor animæ « se reformidit. »

Sed quia, *corpus quod corrumpitur aggravat ani- mam*, *Sap., ix, 15*, summa est Dei nostri providentia, quod pro servanda animæ sanitate, corpus hoc nostrum infirmitatibus nonnunquam affligatur et extenuetur. Unde super illa verba Deuteronomii, *xxxii, 39: Ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo.* S. Bernardus, *Epis. xii*, dicit: « Percussit carnem ut anima sanaretur. » Joannes Egyptius abbas, a Monacho quodam rogatus, ut sua intercessione sibi obtineret, ut a quadam qua diu exhaustus fuerat infirmitate liberaretur, eum respondit: « Rem tibi necessariam cupis adjicere. « Ut enim corpora nitro, vel aliis hujusmodi linte- « mentis abluuntur a sordibus, ita animæ languo- « ribus, aliisque hujusmodi castigationibus purifi- « cantur. » Habemus pro hujus veritatis corroboratio- ne claram quamdam in Ecclesiastico, *xxxii, 2*, sententiam qui ait: *Infirmitas gravis sobriam facit animam.* S. Bernardus qui vitam duxit immaculatam, et semper quasi infirmus vixit, ita hac de re scribit: « In salutem flagellat infirmitate corporis, « ne peccent, ut eis utilius sit frangi ad salutem « languoribus, quam remanere incolumes ad dam- « nationem. »

VERSUS 3.

Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare; et confestim mundata est lepra ejus.

Et extendens Jesus manum, tetigit eum.

1. — Auctor Imperfecti, *Hom. xii*, dicit, quod

lepra languentem non per tactum deseruerit, sed per verbum, quod Christus ei dixit, nimirum: *Mundare*; imo ne quidem hoc necessarium erat, sed sufficiebat sola Christi voluntas. Rationem autem, cur eum tetigerit, idem Auctor hæc esse dicit: « Ut ostendatur, quia non propter effugationem « lepre, tetigit eum, sed ut solveret legem. » Cui consonat, quod Theophylactus, *ibid.*, hisce verbis scribit: « Attingit leprosum, ostendens, quod non « obnoxius sit legi, quæ præcipit, ne tangeretur « leprosus, sed Dominus ejus sit et quod mundo « nihil sit immundum et quod sancta ejus caro « sanctificationem communiqueet. » Porro sacratis- sima Christi humanitas lepre contrahendæ minime erat obnoxia, quin potius id eum venerat, ut eam mundaret; nam ut Lucas Brugensis, *in Matth.*, ait: « Ea est in Christo puritas, quæ non tantum non « inquinetur, verum etiam sordes omnes et inqui- « tamenta absorbeat. » S. Thomas Elisei exem- plum adducit, qui ad sanandum Naaman leprosum, eum non tetigit, sed ad Jordanem, ut lavaretur, dimisit, adducitque eam, quæ Christum inter et Eliseum intercedit, differentiam et dicit, Christum, licet leprosum hunc tetigerit, non ideo subito legem transgressum fuisse: « Quia prohibitum fuit « propter contagionem; qui igitur infici non potuit, « tangere potuit. »

2. — Christus miserabilis viri hujus lepram teti- git, ut charitatem erga infirmos et eos præcipue, qui vel maxime stomachum vel nauseam movere possunt, compassionem nos edoceret. Inde S. Am- brosius, *in Matth.*, ait: « Ut doceret, nullum esse « spernendam, propter quamlibet corporis lesio- « nem, quæ a Deo immittitur. » Idem quoque moti- vum S. Hieronymus adducit ad *Oceanum in Epitaphio Fabiola*, ut scribit: « Ille quem despiciamus, « quem videre non possumus, ad cujus intuitum « nobis vomitus erumpit, nostri similis est, de eo- « dem nobiscum formatus est luto, iisdem compac- « tus elementis; quidquid patitur, et nos pati pos- « sumus. » Casarius Heisterbacensis historiam, quæ circa quemdam in Francia Episcopum, sæculo duodecimo accidit, refert, nimirum, quod cum hic obvio cuidam leproso eleemosynam dare vellet, is ei se hanc nihil facere responderit, sed hoc solum petere, ut effluentem ab ulceribus saniem abstergeret; cumque Prelatus ille sudarium eo fine protulisset, leprosus id sibi nimis molestum fore, respondit, ac proinde Episcopus manus ad saniem detergendam obtulit, quas ille cum etiam utpote nimium ponderosas admittere detrectaret; tandem Episcopus summis apud eum precibus contendit, ut ore suo saniem illam lingua lambendo tollere per- mitteret, quod obsequium cum leprosus non abnue- ret, Episcopus tametsi gravem in se ad id facien- dum nauseam experiretur, semetipsum tamen hac in re glorioso vincens, labra sua lepræ et saniei

inde effluenti admovit, qui ore suo non saniem exsuxit, sed quamdam inestimabilis valoris gem- mam, sugendo, ore suo excepisse advertit; moxque leprosus in celum evolans, ab oculis ejus evanuit.

3. — S. Anselmus, *in Matth.*, hæc manus Christi extensione, misericordiam Dei denotari posse existi- mat: « Cum extendit manum significat se affectum « misericordiæ in eum habere. » Enimvero nos quid- em a nobismetipsis in peccati barathrum corrivere possumus: *Perditio tua ex te*; at vero nisi Deus pietatis suæ manum porrigat, ab eodem resurgere minime valeamus: *Tantummodo in me auxilium tuum.* S. Paschasius, *lib. IV, in Matth.*, ait: « Ex- « tendit illi manum, quoniam ille languore recess- « serat et nisi prius misereretur, ut extenderet « manum, hic nunquam redire aut sanari pos- « set. »

4. — Notabilis autem hoc loco considerari potest in hac ab eodem Deo facta, manus extensione diffe- rentia; Job namque, *xix, 21*, lamentando olim dicebat: *Manus Domini tetigit me*, et protinus eo ipso se a capite ad calcem usque, lepra conspersum esse vi- dit: *Mitte manum tuam, et tangere os ejus et carnem ejus*, ubi sacri Interpretes id lepra intelligendum esse dicunt: hic autem per contactum manuum ejusdem Dei, leprosus Evangelicus perfecte sanatur; quænam isthæc est effectuum, tactu manuum Dei provenientium differentia? Responderi potest, quod saepe numero celestis hic Protomedicus, qui dicit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, tunc vel maxime hominem a lepra, quæ animam inficit, mundat, quando eumdem in corpore vel maxime sauciat. De mortali Lazari infirmitate olim dicebat: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei*, ut plurimum namque, dum corpori im- mittit infirmitatem, animæ intendit dare salutem. Lepra, qua Job per languentem Dei manum con- spersus fuit, magna eidem contulit incrementa san- itatis pro hac namque illi patientiam eam contu- lit, per quam fuit eritque semper in cunctis sæculis speculum hujusce virtutis. In leproso Evangelico similiter fidem excitavit, qua suadente recurrit ad Christum, compunctusque; eodem prosus tem- pore, simul accepit corporis et animæ salutem.

5. — Jansenius, *ibid.*, super hæc verba, ita scri- bit: « Quod utique sine manus extensione fieri non « potuit, ut significaret, extensione manuum in « cruce salvandos omnes credentes. » In *Canticis*, *v, 14*, dicitur: *Manus ejus tornatiles aureæ, plene hiacinthis* hic, ubi Philo Carpatius ait: « Tunc tor- « natiles factæ sine manus Christi, quando illas « extendit in cruce, quando clavis perforatæ fue- « runt; » Christus manus suas aperiendo celestis- bus nos benedictionibus locupletat: *Aperis tu ma- num tuam et imple omne animal benedictione*, me- detur et sanat omnes infirmitates nostras.

Dicens : volo.

6. — Chrysostomus, *Hom. xxvi, in Matth.*, observat, Christum in aliis similibus occasionibus, cum, ut miracula patraret, rogaretur, nunquam hoc verbo *Volo* usum fuisse : « Hic vero, ut de populi testate sui, opinionem et leprosi firmaret et populi, addidit, *volo.* » S. Hieronymus, *ibid.*, verbum hoc humilitati attribuit, dum ait : « Considera, quam humilis et sine jactantia responsio : ille dixerat, *si vis*; Dominus respondit, *volo*, ille premiserat, *potes me mundare*; Dominus jungit et dicit : *Mundare.* » Id quod cum illa consideratione consentit, quam super eadem verba S. Ambrosius, *lib. V in S. Lucam*, scribens instituit. « Illud, » inquit, « mirabile, quod eo sanavit genere, quo fuerat obsecratus, voluntatem timendum se faciet et deprecationem eorum exaudiet. » Ipsemet Deus modum nobis interius insinuat, quo nobis utendum est ad gratias ejus impetrandas : *Ipsè spiritus postulat pro nobis*, id est, postulare nos facit.

7. — Verum enimvero opponi hoc loco posset objecto quædam, in quadam S. Bernardi propositione fundata, qui de spiritali et mystica lepra diffuse tractans, dicit : « Lepra propria voluntas, » que propositio si vera est, quomodo igitur increata et incarnata Sapientia, lepram per verbum istud *volo* curat et sanat? Responsum porro ex declaratione deducere possumus, quam subjungit, dum, qualisnam lepra hæc sit, *Serm. III, de Resurr.*, explicat : « Propria voluntas, que non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum, » quando, quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmet ipsos facimus, non intendentes placere Deo et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus. » Gratissimum, quod Deo offerre possumus, est donum voluntatis nostræ, eamdem ejus voluntati subjiciendo; siquidem ipsam e nostro arbitrio dependet. *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu constitui sui. Ecclesi. xv, 14.* Et opus est, quod aliud nihil, quam cor a nobis postulet, in quo sedes est voluntatis nostræ. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi. Prov., xxii, 26.* De S. Gertrude scribitur, celestem Sponsam ejus clavem animæ ipsius ab ea requisivisse, ut pro suo libito in penetralibus cordis ejus demorari posset : « At quod illa et que est clavus? respondit Dominus : Voluntas tua propria. »

8. — Ex quo Dominus ac Redemptor noster in quavis actione sua, nostram intendit instructionem, eo ipso quo leprosum hunc, qui peccatoris symbolum existit, per verbum *Volo* sanitati restituit, nos utique erudit, quod pariter divinæ suæ gratiæ per resolutam quamdam nostram divinæ voluntatis arbitrio conformandi voluntatem, respondere et cor-

respondere debeamus, hoc autem fiet, si voluntatem nostram divinæ legi conformaverimus; nam ut Psalmista, 1, 2, ait : *In lege Domini voluntas ejus.* Una ex sororibus S. Thomæ Aquinatis, cupida habere ab eo puncta aliqua, ad propriæ salutis assurancementum essentialiter requisita, cumque ejusmodi multa documenta S. Doctor eidem tradidisset, ipsaque in eadem postulatione usque et usque persisteret, tandem Doctor Angelicus eidem unicuique tantum verbum, sed summe ponderosum, nimirum *volo*, eidem necessarium esse præscripsit.

9. — Paulus de Palat., in *Matth.*, ait : « In hoc verbo *volo*, commendat Christus charitatem suam, quia pro leprosis mortuus est, transferens in se lepram nostram; unde nos reputavimus eum quasi leprosum. » Considera hujus verbi *volo* miram emphasim, utpote quod Filium Dei sanguinem suum fundere, nostramque redemptionem operari fecit, Christus enim per os Apostoli ad Hebræos expresse æterno Patri suo, non per victimas et holocausta, sed per oblationem suam satisfactum esse dixit; ut vero simul, in quoniam oblatio hæc consistat, declaret, subjungit, *Hebr., x, 7*: *In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam; quæ ultima verba ad Psalmistam, relationem dicunt, qui subjungit : Deus meus voluit et legem tuam in medio cordis mei.*

Mundare.

10. — Glossa Interlinearis dicit : « In hoc Ma-jestatis potentia. » Quia unico dumtaxat ad verbo imperativo, lepram ab hoc miserabile homine fugavit : *Dedit voci suæ vocem virtutis : Vox Domini in virtute.* Verumtamen ponderandum, quod Paulus de Palatio, *ibid.*, animadvertit, nimirum, quod eodem tempore, quo dixit : *Mundare*, manum quoque suam extendit : « Olim manum suam Dominus in sinu gestaverat, quod dolens David, *Psal. xxxvii, 18*, dicebat : *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in furore?* At nunc extendit manum cum jejunat, laborat et sudat, » sed tunc maxime, quando extendit tota die manus ad populum contradicentem, » adeoque leprosum hunc, id est, genus humanum, non solum verbo, sed etiam Passione et sanguinis sui effusione mundavit.

Et confestim mundata est lepra ejus.

11. — S. Anselmus, in *Matth.*, ait : « Nihil magis diu est inter opus divinum et ejus præceptum, quia in præcepto est opus Dei, qui dixit et facta sunt. »

12. — Origenes, in *Cat.*, considerat, quod promptitudini fidei, quam leprosus in Christum habuit, desiderata pariter salutis ejus subito correspondit : « Quia non distulit confessionem, non differtur mandatio. »

13. — Etenim proprium Dei est, quod ad beneficiendum et subveniendum sollicitus, ad castigandum vero tardus existat, siquidem : *Expectat Dominus, ut misereatur nostri. Isa., xxx, 18.*

Additiones.

a. — *Et extendens Jesus manum, tetigit eum dicens : Volo, mundare.* Leprosus iste veniens ad Dominum, procidit in faciem suam, iudicans se indignum ut ante Domini oculos appareret. Ac proinde in faciem suam procidit, veluti cooperiendi faciem suam ac turpitudinem morbi sui. Christus Dominus hanc illius humilitatem honorans ac extollens, non solum cum suis corporalibus oculis aspici, sed etiam tactum manu ejus propria concedit. Humiles enim ad recipiendas gratias capaces sunt, Deumque veluti ad se trahunt.

Humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam, dicit Ecclesiasticus, III, 20. Humilitas gratiarum celestium est attractiva sicut e contra dissipatrix earumdem est superbia; Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, *Jacob, iv, 6.* Et Psalmista ait, *Psal. cxxxvii, 6* : *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit.* Unde S. Augustinus, in quodam sermone, ait : « Quanta humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelso. » Audiatur et S. Cæsarius Arlatensis, *Hom. xxiv* : « Sicut de fonte terreno et corporali fluvio non potest aliquid bibere, nisi se voluerit inclinare; » ita et de vivo fonte Christo, et S. Spiritus fluvio « nemo aquam vivam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit, propter illud quod scriptum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* » S. Bonaventura hunc S. Jacobi Apostoli textum allegans, in *Serm. II de uno Confess.*, scribit : « Cum humilitas recte Deo subiciatur, ad majus divinum auxilium mentes parat. » Unde Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam et tanto majorem quanto invenit mentem humiliorem. Et propter hoc, dicit Petrus : *Humilitamini sub potenti manu Dei*; quasi dicat : Si humilis fuerit, Deum auxiliatorem habebit, quod fortis erit, nihilque timebit. » Ex S. Bernardo : « Vim faciebat Publicanus regno cælorum, qui cum non auderet oculos ad cælum levare, ipsum cælum ad se potuit inclinare. »

Quando Deus, apud Isaiam, *Lxvi, 2*, dicit : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperem?* per pauperem humilem intelligit, prima namque beatitudo : *Beati pauperes spiritu*, ad humiles ordinatur. Quidnam aliud præter humilitatem, Deum e cælo in terram trahere potuit, ut nostræ se naturæ copularet, nosque unum secum efficeret? *Respexit humilitatem ancillæ suæ*, inquit beatissima Virgo, quæ eadem vix verba hæc ore protulerat : *Eccè ancilla Domini*; *fat mihi secundum verbum tuum*, cum ecce

Dei Filius se nostræ humilitati univit : *Et Verbum caro factum est.*

Guericus Abbas, *Serm. III in Assumpt. Mariæ*, inquit : « Super quem autem requiescam, nisi super humilem? O humilitas angusta tibi, ampla divinitati; pauper et insufficiens tibi, sufficiens ei quem non capit orbis, copiose ac delitescens illi quem et angelos pascit. *Super quem*, inquit, *requiescam, nisi super humilem?* In omnibus requiem quæsi, sed apud humilem ancillam inveni. Non est inventa similis illi in gratia humilitatis, ideo in plenitudine humilitatis requiem vitæ etiam corporaliter omnis plenitudine divinitatis. »

Sed hic notanda sunt verba S. Gregorii dicentis : « Non grande est iis nos esse humiles a quibus honoramur, quia et hoc sæculares faciunt; sed illis maxime humiles esse debemus, a quibus aliqua palimur, nam Psalmista dicit : *Vide humilitatem meam de inimicis meis.* »

b. — Accessit hic leprosus cum magna verecundia ad Medicum, genuflexus adorans, et quamvis in eo esset tanta erubescencia, tamen confessio ejus inde non impeditur, sed publica et petenti voce sanitatem postulans, infirmitatem suam ulcraque manifestat. Unde et id quod petiit impetravit. Qui enim pudorem suffert constans in proposito divino, amicitiam Dei, necnon recipit criminum indulgentiam.

Ecclesiasticus, *iv, 14*, dicit : *Pro anima tua ne confundaris; est enim confusio adducens gloriam et gratiam.* Maximi momenti hoc est Spiritus Sancti monitum exhortans, ut dum de salute animæ tractatur, nequaquam erubescamus. Si autem propter fragilitatem nostram, petulantiam et ludibrium impiorum vultum nostrum perfunderet, erubescencia hujusmodi, absque eo quod vel ad latum unguem a semita recta deflectamus, patienter toleratam, nobis potius gloriæ existere.

S. Petrus, *I Epist., iv, 16*, postquam Christianos monuit ut caverent ne insultibus propter scelera commissæ subjacerent, dicendo : *Nemo vestrum patitur ut homicida, aut maledicus, aut alienarum peccatorum, mox subjungit : Si autem ut Christianus non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* Experientia autem quotidiana ostendit vere illos, qui ad Christum pertinent, et cum illo sentiunt a mundanis semper derideri. Unde Dionysius Carthusianus ait : « Si exprobramini per verba injuriosa, « deinde in re et premio. »

c. — Salvator noster, ut nos exemplo suo ad hoc misericordiam opus, visitationem scilicet et consolatio nem infirmorum, quod summi meriti est, incitaret. Nonnunquam nobis sub titulo medici, alias vero

sub nomine infirmi ob oculos ponitur: *Visitavit nos oriens ex occ. Luc.*, 1, 78. *Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent, Marc.*, 11, 17. *Sanans omnem languorem, Matth.*, 11, 23. Apud S. Lucam, xvi, 23, idem Salvator noster, in sinu Abraham, qui pro illo tempore velut quoddam paradisi depositum erat, primo loco post magnum illum Patriarcham, Lazarum videri fecit. Non enim fit mentio tot aliorum sanctitate insignium cœlitum, præterquam hujus solius; idque ut reor, quia hic pauperculus mendicis ab ulceribus et plagis incenrabilibus afflictus fuerat. Quo facto Christus qui *omnia in sapientia fecit*, demonstrare voluit quanto cum affectu infirmos et afflictos prosequatur.

d. — Qui vero ministerio visitationis et consolationis infirmorum dat operam, duplicatum, sine ulla presumptione expectare potest præmium; qui enim infirmos visitat, meretur, ut non solum felix sit in cœlo, sed etiam in hac vita; cum sanitate scilicet et prosperitate illam transigendo.

Quod si opposeris quod cum infirmis conversando, infirmitas et morbus illorum facile contrahatur, respondeo cum Nazianzeno: « Eos qui ægotantibus assistunt, et propter Deum servant, singulari Dei munere ab infirmitatibus etiam contagiosis non infici. » Advertat tamen lector quod Nazianzenus notanter dicit, qui « propter Deum servant, » quia in hoc sancto ministerio, non sunt habendi alii fines humani.

Idem quoque S. Doctor animose infirmorum visitantibus promittit inquirens: « Bono esto animo, accede; haudquamquam vitium contrahas; » idque dicit ut animum suggerat, illis, qui cum infirmis conversantur. Suos per hoc motivum ad infirmos visitandos animare solebat dicens: « Christum, « quando licet, visitemus. »

e. — S. Anselmus, in *Matth.*, in hac manus extensione Christi qua leprosum tetigit ac sanavit, misericordiam Dei denotare posse existimat. « Cum extendit manum significat se affectum misericordie in eum habere. » Enimvero nos quidem a nobis ipsis in barathrum currere possumus; *Perditio tua ex te*; at vero nisi Deus pietatis sue manum porrigat, ab eodem resurgere minime valemus: *Tantummodo in me auxilium tuum*. Ex quo sequitur, misericordiam Dei ad divinum ejus beneplacito, non vero ab hominis dependere voluntate; ideoque decipi peccatorem, qui semper eam juxta beneplacitum suum sibi affuturam spondet.

Astutus inimicus innumerabiles hoc laqueo depredatur animas, scilicet persuadendo iis quod misericordiam Dei juxta placitum suum quando-cumque ipsis liberit, experire possint, quodque illa semper peccatorem ad poenitentiam recipere prompta sit atque parata. Id quod falsissimum est, siquidem hæc non ab hominis, sed a Dei pendet

beneplacito, dicente Osea, xiii, 9: *Perditio tua ex te, Israel; tantummodo in me auxilium tuum*. Culpa namque in profundum nos precipit peccati abyssum, unde nunquam resurgere possemus, nisi misericors Deus, suam nobis prorrigeret manum. Id autem præstat, quando ipsi lubet et placet, ex nulla penitus obligatione, aut in Scripturis sacris expressa promissione. Unde impiis illis qui ut peccata sua continuare possint, divinam misericordiam se in sua habere potestate, sibi persuadent, improperari potest, quod Judith civibus Bethuliensibus, jam se Holophermi, nisi Deus illis intra quinque dies mitteret suppetias, dedere paratis, olim exprobravit, dicens: *Et quis estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, et furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum vestrum diem constituistis ei. Sed quia patiens Dominus est, et in hoc ipso penitemus.*

Legitur, II *Mac.*, ix, 13, de rege Antiocho frustra penitere volenti: *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecutus*. Quæ verba sic S. Bernardus commentatur: « Rogant scelesti Deum, a quo non sunt misericordiam consecutus tui; et quidem Spiritus ubi vult spirat; sed quando vult spirat; nec ei difficile est, subito perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alii consequuntur. Sed unde scis, quod tunc tibi id velit subvenire, quem tu interim sic repelles? »

f. — Recte lepræ nomine contagio vitiorum designatur. Inde uribus leprosi exulabant, ne inficerent concives. Verum investigatione dignum est, quare Christus Deus sanaturus lepram, leprosum tangere non vereatur, dum voluntate sola sanare poterat, quod leprosum non latuit; dixit enim: *Domine, si vis, potes me mundare*. Cur extendit manum ad contactum lepræ? Nam etsi contagionem non timeat Christus saltem horreat fedam morbum. Origenes, *Hom. v in diversis*, eleganter dicit in persona Christi: « Ideo cum extendo manum, non effugit, nec contaminatio meæ virtutis proximare vel resistere meæ potentie poterit. » Dico ergo: *Volo, mundare*. Et me manum ad tangendum extendente, effugit illico lepra. Et inventa est manus Domini, non lepram, sed « mundum tetigisse corpus. » Christus Deus horret contingere pestiferam lepræ contagionem, et infirmus homo affectat assuescere vitiorum lepræ. Heu! etsi peccata levia sint et modica, fugienda tamen, ne amplius inficiant, et gravius ruere faciant. Hæc Christi cautela sit nostra eruditio, qua discamus cauti esse, ne vel minimum serpenti infernali vitiorum auctori, in cor nostrum aditum indulgeamus, ne sic amplius totum hominem veneno suo inficiat.

S. Apostolus, in Epistola ad Galatas, v, 4, dicit

Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Quæ verba exponens Hugo Cardinalis ait: « Dico vobis, non consentialis, neque in minimo, quia minimum hæreticæ pravitatis corrumpti quidquid boni est in homine. » Et paulo post, ad propositum nostrum subjungit: « Similiter et a modicis peccatis debet homo cavere, Ideo namque in Levitico præcipitur: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet; nec quidquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio*. Ubi per fermentum significatur æquitas et malitia, per mel concupiscentia. »

Idem Beatus Apostolus, *Ephes.*, iv, 27, scribit: *Nolite locum dare diabolo*. Locum vero in corde nostro diabolo cedimus, prout D. Chrysostomus, *Hom. xiv super Epis. ad Ephes.*, exponit, quando in illo culpam aliquam levem committimus, vel fovemus. Nam ut idem Chrysostomus ait: « Illi dum taxat iniitias opus est. » S. Gregorius Nazianzenus, in sacro quodam poemate, ita de demone canit:

- Tu minime primo vitibus in pectora nostra
- Induas, ac velut exiguis liberis undis:
- At simul atque tibi datus est locus, illico magnum
- Irumpis, rapideque fluis latissimus amnis,
- Donec me chaos arripat, haralibronque profundum.

S. Hieronymus pariter inquit: « Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est, primæ suggestioni ejus non resistitur, lotus in interna cordis, dum non sentitur illabitur. » Similiter quid S. Cyprianus, de demone, in hæc verba scribit: « Tanquam hostis clausos obsidens muros explorat an sit aliqua pars murorum minus stabilis, cujus adortu ad interiora penetratur. » Quævis enim minima apertura ei sufficit, ut cum omnibus suis viribus ingredi, murosque etiam fortissimos rumpere possit. « Omnes ergo ruinae, » inquit S. Episcopus, « ne dicam portæ, claudende sunt, ne per unum foramen castra omnia penetrent; et universa componenda sunt munitione civitas ruat. »

g. — Mirum est quam prout fuerit piissimus Jesus ad satisfaciendum petitioni hujus leprosi; sed simul cum corpore, animæ conferebat sanitatem, ad ostendendum quanta cura et custodia Deus animam prosequatur, et quidem unamquamque in particulari. De salute enim omnium, maxime sollicitus est.

Sapiens dicit: *Iustorum animæ in manu Dei sunt*. Deus igitur in vola manus sue animam nostram velut gemmam pretiosam portat. Unde S. Bernardus, *Serm. de dign. animæ*, dicit: « In præsentem vitam, sæpe temporalia malorum custodiae permittit, animas vero propriæ suæ custodiae derelinquit, » S. Chrysostomus, *Hom. x in Matth.*, sic loquitur: « Tanto studio, tantaque cura Deus dignam esse animam ostendit, ut neque Filio suo

pepercerit. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. »

S. Bernardus, in *Serm. xii super Cant.*, circa illa verba Apostoli ad Galat., ii, 20: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me, eandem subinfert conclusionem dicens: « Quiniam, eadem charitate, qua pro omnibus, mortuus est et pro singulis. » Unde Salvator noster animæ pretium, quod pro ejus redemptione exsolverat indicare volens, non in plurali sed in singulari numero, *Psal. lxxviii, 8, dixit: Propter te sustinuit opprobrium; operuit confusio faciem meam*. Et quidem ne id casualiter, aut fortuito dixisse videretur, eandem prostrationem paulo post confirmat, dicens: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*. Non dixit vobis, qui tametsi totius humani generis peccata in cruce portaverit, pondus tamen istud haud aliter considerandum est, quam si illud pro solis peccatis meis sustinisset: « Neque enim recensaturus esset vel ob unam. » S. Augustinus qui rem hanc optime intelligebat, ita de ea meditabatur, *Medit.*, c. vii: « Ego sum tui causa doloris; ego tuæ culpa occisionis; ego tuæ mortis merita, tuæ vindictæ flagitium; ego tuæ passionis livor, tui cruciatus labor. »*

VERSUS 4.

Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris; sed vade, et ostende te sacerdoti et offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.

Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris.

1. — Ex quo miraculum in conspectu totius populi patratum fuit, quando opus erat illi, ne divulgaret, interdicere? Eusebius hujus prohibitionis hanc rationem reddit: « Prædicare namque et Dei miracula populis narrare, sacerdotum est: Leprosus vero etsi mundus sit, sacerdos tamen fieri non debet, quoniam illi ad hoc officium eliguntur, ut Apostolus ait, qui sine crimine sunt. »

2. — S. Hieronymus, *ibid.*, ait: « Et revera quid erat necesse, ut sermone jactaret, quod corpore præferbat. » S. Lucas, vii, 39, refert, Christum demoniaico a se liberato, præcepisse: *Narra, quanta tibi fecit Deus, cum liberatus es*. Nimirum in illo non instruit, quod erga benefactores nostros grati esse debeamus; in hoc vero docet gloriam et applausum humanum fugiendum esse. Tametsi etiam bene notari mereatur, quod Christus demoniaico illi non dixerit: *Narra quanta tibi feci*; sed potius *quanta tibi fecit Deus*. Lucas Brugensis, *ibid.*, Christum miraculum hoc a circumstantiis turbæ oculis abscondere studiose existimat; idcirco eum mox a se ablegavit, ut S. Marcus, i, 43, testatur. Et

comminatus est ei, statimque ejecit illum et dixit ei: Vide, nemini dixeris. Se quidem illam ad sacerdotes mittere prælexit, qui invidia stimulis adversus ipsum agitati, tantum miraculum celassent potius quam quod illius præcones extitissent. Jansenius c. iv, concord., Christum, hoc leprosum ex solo compassionis motivo, curasse dicit, eo quod idem Evangelista Marcus dicit: *Jesus autem misertus ejus*: non vero ut per ipsius mundationem divinitas sua palam fieret: « Non enim ad ostentationem sui curavit leprosum, sed quod misericordiae affectu moveretur. » Cajetanus, *ibid.*, hanc prohibitionem, divulgandi curam lepram, potius actum humilitatis quam timoris fuisse dicit: « Non quod timeat sibi de inani gloria, sed quod doceat discipulos, ut student vitare humanam gloriam. »

3. — S. Ambrosius quoque, *lib. V in Luc., cap. v.*, per hanc occasionem idem nobis prescribit monitum, dicens: « Sed ne lepra transire posset in medicum, unusquisque humilitatis Dominicæ exemplo jactantiam vitet; » subditque Christum nos docere voluisse: « Non vulganda nostra beneficia sed præmenda, ut non solum a mercede abstinemus pecunie; sed etiam gratiæ. » Glossa ordinaria rationem reddit, cur leprosus prohibitioni factæ non obediit, Christoque prohibenti obtemperatum non fuerit: « Non quod aliquod voluit et non potuit, sed dat exemplum, ut sui in magnis, quæ faciunt, latere velint; sed ut prosint aliis, prodantur inviti. »

4. — S. Ambrosius, *loc. cit.*, aliam silentii, huic leproso impositi, rationem reddit, quia nimirum leprosus ille utpote a Christo maximo beneficio affectus; in laudibus Christi divulgandis testis nimis partialis et interessatus futurus fuisset: « At fortasse etiam illa silentii causa est imperati, quod meliores putabat, qui fide magis spontanea quam qui speratis beneficiis credidissent. »

Sed vade et ostende te sacerdoti.

5. — Ad officium et munus sacerdotum spectabat, ut aliquem vere lepra mundatum fuisse declararent, ad hoc ut ad aliorum hominum commercium secure readmitti posset; ac proinde Christus, illos hac in parte officio suo satisfacere voluit. Hugo Cardinalis ait: id factum esse a Christo: « Propter humilitatem, ut eos honoraret; propter utilitatem, ut videntes miraculum, credentes salvarentur. Vel propter inexcusabilitatem, ut videntes, nec credentes, iuste damnarentur. Item propter veritatem, ne legem frangere videretur. Item propter ostendendam majestatem, ut non legis ordine, sed gratia sanatus monstraretur. »

6. — S. Thomas, in *Matth.*, dicit Christum ipsum in divinis voluisse sufficienter esse instructum, ideoque ipsum remisisse ad sacerdotes, utpote ad quos spectat rudes catechizare: « Hic instruit eum;

« parum enim esset sanare, nisi instrueret eum: » Intellectum tibi dabo et instruum te in via hac « qua gradieris. » Tametsi enim nonnunquam contingat, quod in rebus ad salutem spiritualem pertinentibus nobis ipsis mundi esse, virtuosaque operari videamur, nihilominus quia tanquam iudices in causa propria facile decipi possumus, justum est, ut ad nostram directionem iudicio nos sacerdotum et patrum spiritualium subjiciamus.

7. — Albertus Magnus, in *Matth.*, præceptum hoc ad præceptum a Christo de confessione sacramentali faciendi datum, referendum esse dicit: « Hic etiam allegorice accipitur, quod etiam si aliquis curatus sit a Deo a lepra peccati, per com-
« punctionem, quod adhuc tenetur se ostendere
« sacerdotibus per confessionem. »

Et offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.

8. — Glossa ord. ait: « Quia legem non solvo; » quia nondum cepit verum sacrificium. »

9. — Jansenius, *ibid.*, S. Lucam et S. Marcum scribere observat, quod Christus predictis verbis insuper adjunxit: *Pro emundatione tua*, id quod in duobus modis intelligi posse dicit. « Primo: *Offer* in gratiarum actionem *pro emundatione* tibi per « me exhibita; et hoc sensu Lyranus pariter scribit: Nam a peccatis mundatus debet esse Deo « valde gratus. Secundo, ut sensus sit: *Pro emundatione tua* legali, qua leprosi mundati « adhuc curari debebant et expiari quibusdam « sacrificiis, priusquam cum mundis conversari « possent. »

10. — Eusebius Gallicanus in sensu morali ad oblationem alludens, dicit: « Ille igitur qui mundatur; duos passeret offerat, corpus et animam « Deo reddat, ut jam non mundi voluptatibus, sed « Deo serviat. »

In testimonium illis.

11. — Hec verba varias apud sacros Interpretes expositiones et glossas habent. Albertus Magnus, *ibid.*, hunc sensum illorum verborum esse dicit: « *Offer illis munus in testimonium* tuæ curationis, « hoc est, ut sint testes, quod sit curatus. In qua opinione S. Thomas quoque fuit, dum ait: « Quia « cum receperint oblationem tuam, non poterant « negare, etc. » Ac proinde S. Augustinus ab Alberto Magno citatus dicit: « *In testimonium illis*, « hoc est contra eos, qui si non credunt, justus « damnantur. » Jansenius et ipse hanc opinionem refert, dum ait: « Hoc est, ut hæc tua oblatio pro « mundatione tua, testetur illis meam potestatem, « ut aut credant, aut sint inexcusabiles. »

12. — Lucas Brugensis ait: « Ut testata sit illis « innocentia mea, quem calumniantur legis adversarium, sive virtute mea operantur eaque huma-

« nas superat viros. » Hugo Cardinalis ait: « Ut « illorum testimonio mundus habeatur. »

13. — S. Thomas, in *Matth.*, per hujus leprosi mundationem, spiritualem a lepra peccati sanationem intelligit, quam tribus sequentibus modis consequimur; nimirum sistendo nos sacerdotibus, isdemque peccata nostra integre confitendo; in satisfactione pro peccatis; unde præcipitur: *Offer manus*, etc.; in futura infallibili divinatorum præceptorum observatione, ac proinde subjungitur: *Sicut præcepit Moyses*.

Additiones.

a. — *Et ait illi Jesus: Vide nemini dixeris, etc.* Licet plurimæ sint rationes morales, quare Dominus, post collatam leproso sanitatem, eidem silentii et illud non divulgandi imposuerit præceptum; ea tamen maxime placet quam D. Chrysostomus, *Hom. xvi, adfert*, dicens: « Mundavit leprosum Dominus, « et jussit eum nulli hoc fateri docens quam esset « alienus ab aura gloriæ, et jactantia pompæ. Et « certe noverat quod non esset ille taciturnus; tamen « quantum in se est, fugit ostentare quod fecerat. » Vana enim gloria semper vilanda est, utpote qua meriti omne bonorum operum evacuat.

In prophetia Jeremie, xi, 16, sacer textus ait: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum: ad usum loquela grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fructus ejus.* Nostisne undenam hæc tot pulcherrimorum fructuum destructio et combustio exorta fuerit? Propheta idipsum perspicuis verbis edicit, nimirum ab impetuous ejusdem vocis sono, *ad vocem loquela grandis exarsit ignis.* At vero quænam fuit vox ista unde flamma exarsit? In Parabolis Salomonis, *Proc., xxxvii, 14*, legimus, quod *qui benedixit proximo suo, voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit.* Ecce tibi igitur quod idem sit dicere: Ad vocem loquela grandis, quod ad adulationis ventum, qui omnes bonorum fructus destruit operum, perdit, consumit et comburit, efficiendo ut in eo cui adulatio obtruditur, adulatio vanam gloriam susciteit, quodque idem de se plus nimium præsumens, in superbiam evanescat, virtutesque existimet eas res, quæ vere, et in substantia sepiissime enormia vitia existunt. Hoc autem periculum non causatur a persecutoribus, detractoribus et contumeliantibus: imo hi omnes potius occasione subministrant exercendi virtutem mansuetudinis, humilitatis, mortificationis, charitatis. S. Gregorius, *Hom. xxxi, in Esch.*, ait: « Vel quæ bene gesta, « vel quæ scienter sunt dicta deperunt, cum tamen « non amore Domini, sed intentione transitoria « laudis fiunt. »

b. — « *Jesus præcepit leproso, ut nemini dicat,* » inquit Eusebius, *Hom. in Dom. III p. Epiph.*, « prædicare care namque, et Dei miracula populis narrare « sacerdotum est. Leprosus vero, etsi mundus sit,

« sacerdos tamen fieri non debet: quoniam illi ad « hoc officium eliguntur, ut Apostolus ait, qui sine « crimine sunt. » Noluit igitur Dominus leproso officium predicationis committere, quod proprium est sacerdotum. Qui enim alios docet, ipse irreprehensibilis appareat necesse est, ne verbum Dei contemnatur.

S. Petrus electus a Christo summus sacerdos, de sacerdotio loquens, in ejus laudem dicit quod sit: *Genus electum, gens sancta.* Certum quidem est, quod gradus sublimior vel altior dignitas Sacerdotio dari nequeat. Unde Sanctus et Seraphicus Franciscus, tametsi Seraphinorum amore succensus, semper exarserit, attamen ad gradum sacerdotalem ob summam ejus reverentiam et respectum transiri non præsumpsit. Unde in sermone quodam, in ejus opusculis recensito, hæc ad Sacerdotes directa verba leguntur: « Patres reverendi, Dei familiares, et « domestici estis, et illius pane vescimini; vestram « agnoscite dignitatem, devotionem præferite, con- « templationi insistite, Spiritus Sanctus sit vestri « intellectus lumen, vestra voluntas flamma. »

S. Ambrosius, veri dignitate Sacerdotis prototypum, hanc ejusdem requirit, præscribitque bonitatem et innocentiam, inquis, in *Epis. vi ad Ireneum*: « Vides nihil in sacerdotibus plebeum « requiri, nihil populare, nihil commune cum « multitudine. Sobriam a turbis gravitatem, seriam « vitam, singulare pondus dignitatis sibi vindicat « dignitas sacerdotalis: quomodo enim potest « observari a populo qui nihil habet secretum a « populo, dispar a multitudine? Quid enim in te « miretur si sua in te recognoscat? Si nihil in te « aspiciat, quod ultra se inveniat? si que in se « erubescit, in te quem reverendum arbitratur « offendat? Supergrædiamur igitur plebeis opinio- « nes, et strata quædam gregalis conversationis, et « queramus nobis viam inaccessam sermonibus « insolentium. »

S. Ignatius martyr, in epistola ad Smyrneses, de eodem ministerio scribens ait: « Sacerdotium, « est omnium bonorum, quæ in hominibus con- « sistunt, maximum. » Unde consequenter deducitur, quod, ut digne administraretur, omnes virtutes et perfectiones requiratur.

c. — Ad principem sacerdotum tanquam ad caput, et ad reliquos sacerdotes tanquam ministros, spectabat mundatum a lepra inspicere, et de ejus mundatione testimonium dare. Ne ergo legem violare videretur, et sacerdotis officium usurpare, et ut etiam de miraculi veritate omnibus constaret, ad sacerdotes mittit. Et quamvis sacerdotes iniqui et sacrilegi essent, bonorum tamen eis debitum mandatum Dominus eis impendere. Ob personarum malitiam noluit dignitatis auctoritatem diminueri ac defraudare: proindeque, quamvis persona iniqua, dignitas tamen est veneranda.